



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tractatus De Schismate

Longueval, Jacques

Lovanii, [1718]

§. I. S. Sedes est unitatis Catholicæ centrum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64915)



CAPUT III.

De necessitate communionis cum
S. Sede ad evitandum Schisma.

§. I.

S. Sedes est unitatis Catholica centrum.

Commune est, ut in circulo, sic in Ecclesia centrum, quo, ut Galliarum Episcopi loquuntur, omnes lineæ rectæ terminantur & coeunt. Fons est in Ecclesia abundantissimæ ac limpidissimæ veritatis, à quo diversi Traditionis rivuli scaturiunt, & in particulares Ecclesias se effundunt. Est & Cathedra principalis & eminent, ex qua fideles omnes fidei morumque doctrinâ imbuuntur. Hoc unitatis centrum, hunc fontem veritatis, hanc Cathedram omnium magistram, non esse aliam quàm Cathedram S. Petri & Apostolicam Summi Pontificis Sedem, Catholici uno ore fatentur. Hæc est mons ille mysticus, supra quem Ecclesiam suam Christus fundavit, erexit, & in conspectu omnium Nationum posuit. Hæc est solidissima illa rupes cui superædificata est Ecclesia, dicente Christo: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ad quæ Augustinus: *Solus, inquit, Petrus inter Apostolos hoc meruit audire: dignus certè qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad regnum.*

Serm. 29.
de Sanctis
edit Lov.
Docto-
rum.

Apostolica Sedes est velut Ecclesiæ fundamentum, lapisque cui adhærere & incumbere

Lib. 2.
num. 2.Epift. 45.
ad Corne.
lium Pa-
pyr. Maſ.
ſon. in Ju-
lio III.

bere neceſſe eſt ceteros lapides, ut ædificium perennaturum exſtruatur. Eſt juxta S. Optatum Milevitanum *Cathedra in qua ſola unitas conſervatur.* Eſt juxta S. Cyprianum *Eccleſiæ Catholica velut radix & Mater.* Eſt juxta S. Leonem & Cyprianum *ſons unitatis Sacerdotalis, pacis Eccleſiaſticae vinculum, nodus unionis,* & juxta nervoſam Orientalium Neſtorianorum expreſſionem ad Julium Papam III. *Cingulum & ligamen quo fidelium corpus unitur.*

Quam ob rem Concilium Nicænum ſta-
tuit, ut in Synodalium Epiftolarum forma,
quæ erant velut Catholicæ communionis ſi-
gilla, poſt expreſſam initialem literam no-
minum trium SS. Trinitatis Perſonarum, ex-
primeretur initialis litera nominis S. Petri: ut
hæc notas præferentes Epiftolæ, teſtes eſſent
communionis cum S. Sede centroque unita-
tis: ſine quo teſtimonio, ab Eccleſiis nefas
eſſet quemquam admitti.

§. II.

*Quisquis à S. Sede ſeparatur, ſeparatur
ab Eccleſia.*

Optat. 1.2.
& Cypri.
de unit.

RES manifeſta non eget argumentis. Cla-
rum eſt, ſeparari à corpore, qui à ca-
pite vivo avellitur. Non citius areſcit *ramus
decisus à radice*, nec *ſcaturiginis intercepta com-
municatione rivus ſiccatur*, quàm ab Eccleſia
Romana diviſæ Eccleſiæ particulares Catho-
licitatis ſigillum amittant. In Patrum doctiſſi-
morum lucubrationibus, ipſiſque Catechiſ-
mis, certiffimis Traditionis canalibus, vera
ſemper Eccleſia appellata fuit *Catholica, Apo-
ſtolica*.